



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Directorivm Ecclesiasticae Disciplinae, Coloniensi  
praesertim Ecclesiae accommodatum**

**Frangipani, Ottavio Mirto**

**Coloniae Agrippinae, 1597**

**VD16 F 2269**

De leiunijs.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62032)

conorum, aut Subdiaconorum, quædam officia vsurpent; quod puerilis iste Episcopus, in die electionis suæ, ad ostentandū se, & in die suę defunctionis, ad colligendā aliquam pecuniā in Symbolum, mitra & vestibus Episcopalibus, more Episcopi indutus, cum baculo Episcopali, & personatis aliquot militibus, per plateas obequetet; quod alibi quoq; Canonici & Vicarij, ex Collegarum suorum numero, aliquem ex ordine Episcopum designent, qui reliquos omnes nō sine magno sumptu & grauiamine, alijsq; incommodis, liberali mensa excipiat. Ab his enim cum magis carnem sapiant quam spiritum, sponsam Christi Ecclesiam volumus esse liberam, & quo id sine murmure, aut contradictione fiat, Præceptoribus aut Ludimagistris, qui alioquin forsan obstrepent, potius aliquid pecuniæ ex communi Ecclesiæ arario donandum censemus, quam vt diutius illo personati Episcopi lusu, non sine Episcopalis dignitatis ac honoris diminutione & contemptu, emendicando, pecuniam in Symbolum corradere.

## D E I E I V N I I S.

I.

**D**E ieiunijs seruentur quæ à Cōcilio Prouinciali sub Herman. 5. parte nona constituta sunt. Et vt singuli vberrimos ieiunij fructus consequantur, exactè doceantur, quis sit ieiunandi modus, & in quo ieiunium à temperantia differat. Est enim temperantia, à superfluis in cibo & potu abstinere; ieiunij autem Ecclesiastici est, etiam à conuenientibus alimentis, iuxta certum Ecclesiæ morem aliquid detrahere; atqui modus hic est à carnibus abstinere, & vnica cibi refectio, in die, hora conuenienti, frugalius refici. Quam quidem horam serius quàm alio die ordinari decet, vt ex dilatione refectiois corpus affligatur. Non tamen vt Diuus \* Leo sapientissimè monet, in sola abstinentia cibi

\* Serm. 4. De  
Quadrages.  
me qui legi  
tur in usu Ro  
mano noctu  
rno: Domi  
nic. Qua  
dragesimæ.



tia cibi stat nostra ratio ieiunij: haud enim fructuosè corporiesca subtrahitur, nisi mens ab iniquitate reuocetur. Quare in gratia esse studeant, quicumque vberimos ieiunij fructus percipere volunt.

2. Vigiliæ singulis annis pertotam Prouinciam Coloniensem, ab vniuersis ætatem habentibus, nec legitime excusatis, sub periculo peccati mortalis ieiunandæ, præter quadragesimam, & quatuor anni tempora, sunt Vigilia Pentecostes, Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ, Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, S. Laurentij Martyris, Assumptionis B. Mariæ Virginis, S. Matthæi Apostoli, SS. Simonis & Iudæ; Omnium Sanctorum, S. Andrea, S. Thomæ Apostoli, & Natiuitatis Domini. Quæ si in diem Dominicum, aut feriam secundam inciderint, Sabbathis præcedentibus ieiunentur. Insuper in Litaniam maiori, quæ cadit in diem S. Marci, & in diebus rogationum, abstineatur pertotam diem à carnibus, & ieiunentur ad minus vsque ad prandium. Singulis præterea hebdomadibus, maiorum consuetudine, feria sexta & Sabbatho (quos dies, maiores, in honorem Dominicæ Passionis, & Beatissimæ Virginis, ieiunio consecratos habuerunt) carniū vsus prorsus habeatur interdictus, nisi in alterum horum incidat Natiuitas Domini nostri Iesu Christi: Et vbi vel plura vel strictius obseruata fuerint, pia consuetudine obseruentur, atque non solum hac ratione, sed & alijs præterea ieiunijs, ex deuotione assumptis, quisque demonstret, se ieiuniorum exercitia suscipere, non coactione legis, sed virtutis delectatione, & vero Dei amore.

3. Vt Pastoribus, Concionatoribus, Confessarijs omnibusque Christianis augendæ pietatis demus occasionem: præter voluntaria consueta ieiunia, ad omnem diem Festum Beatissimæ genetricis Dei Mariæ à pijs omnibus recepta, proponimus, non imponimus, virtutum studiosis, ad exercendam virtutem suam, & maiorem

Stat. Henri.  
an. 1307. ed.  
c. 3. pag. 67. 6.

Conc. prouin.  
sub Henrico  
an. 1307. hab.  
p. 64. Vide  
S. Ignat. ep. 5.  
que est ad  
Philipp.  
Conc. Eliber.  
can. 26. Inno.  
ceter. PP. 1. ep.  
1. ca. 4. D. Au-  
gusti. epi. 86.  
118. & 119.



- Dei gratiam obtinendam, hæc infra scripta ieiunia, pridie cuiusq; diei cui inscribuntur, ab his quorum Deus corda excitabit obseruanda, cui certo ieiuniorum scopo in quem collimare possint. Ieiunium Epiphaniæ Domini nostri Iesu Christi, vt quisq; vocem Domini, ad meliora, & ad se vocatis, atq; stellam seu ductû diuinæ inspirationis cognoscere possit, & in ea vocatione qua vocatus est, tota volûtate Deo seruire.
1. Ieiunium Conuersionis S. Pauli, vt inimici crucis Christi humilientur, omnesq; peccatores spiritum bonum accipiant, & Cõcionatoribus omnibus, ea gratia, virtus & efficacia verbi, vitæ, conuersionis, & prudentis zeli tribuatur, quæ in D. Paulo post conuersione viguit S. Heriberti, hoc est à S. Heriberto, contra subitanam mortem aliaque calamitates, quæ Dioccesin Coloniensem tunc premebant, institutum feria secûda, quarta, & Sabbatho, post Dominicam Misericordia, instar dierum rogationum, antè prandium, in abstinentia ab esu carnum seruandum. Quod hoc tempore, ad extirpatione heresiu, aliorumq; malorum, quæ Dioccesin hanc apprehenderunt, vtiliter resumetur. Ascensionis & transfigurationis Dominicæ, vt omnes qui Christum fide cognouerunt, quæ Christi & quæ sursum sunt sapiant, non quæ carnis, & quæ super terram. Sãctissimi corporis Christi: vt Sacramenta Ecclesie, ab omnibus in debito honore habeantur, & digna præparatione, desiderio, & gratiarû actione ab omnibus suscipiantur. S. Mariæ Magdalenz, vt amatores mundi, & vanitatum huius sæculi, ab ea veræ pœnitentiæ exemplum sumant, & confidentiæ bonæ in Deum. Sancti Michaelis, & omnium Angelorum, vt ab his vita nostra, sine intermissione muniatur, & ad omne bonum dirigatur. Sancti Materni, S. Vrsulæ, S. Gereonis, S. Seuerini, S. Cuniberti: Translationis trium Regum, aliorumque Ciuitatis, Diocesis, & Prouinciæ Colonienfis Patronorum, vt fidem quam hic Sanguine vel prædicatione sua plantauerunt, vel excoluerunt, & confirmauerunt, suis meritis ac intercessionibus, intemeratâ semper hic & vbiq; tueantur; hancq; Prouinciã vbi sua corpora, ac pretiosa reliquia seruantur, ab omni malo semper seruent, Deo gratam faciant, suarumq; reliquiarum, fidelissimam, deuotissimamq; custodẽ. Quæ quidem ieiunia, & si quæ sint alia, quæ cuiusq; pietas suggeret, quæq; vel ob dictas, vel ob similes causas, aut in honorem & gratiam alicuius patroni, alteriusue sancti suscipientur, cum primum fuerint confessi, qui ea susceperint, & absolutionis beneficium perceperint, de omnipotentis Dei misericordia, ac Sãctorum meritis cõfisi, quadraginta dies Apostolica autoritate, de iniunctis eis, vel iniungendis pœnitentijs pro qualibet die relaxamus, Eandemq; gratiam his facimus,

qui

vide Statut.  
Hær. an. 1307  
edit. cap. 3.  
pag. 67.



qui in nuptijs, in Martinalibus, in Regalibus, alijsq; diebus, quib. mundus insanire solet, & se super cibum & potum effundere, ac in nuptijs etiam superbo vestium cultu, alijsq; modis à recta ratione discedere, modestiæ & temperantiæ Christianæ seruauerint modum, multoq; magis his, qui ex eo quod circa se fuerint abstinentiores, circa pauperes sunt effusiores, & vel conuiuia sua pauperibus communia faciunt, vel his, inde partes mittunt.

4. Quæ in hæc vsq; tempora religiosè ab omnibus obseruata fuit consuetudo, vt in quadragesima abstineretur ab omnibus quæ se mentiuam carnis trahunt originem, à lacte nimirum, butiro, caseo, & ouis, non passim sine causa intermittatur; aut si propter olei caritatem, eorumq; qui illo non vescitur multitudinem, difficilis à butiro abstinentia foret; à caseo tamen & lacte, maximeque ab ouis, abstinenti religio restituatur; & in capite ieiunij, vsq; ad primam quadragesimæ Dominicam, ac tota maiori hebdomada, præsertim feria quarta, quinta, sexta, & sabbato sancto, antiquus ieiunij rigor Cõcionatorum diligentia, multoque magis vigilantium Pastorum studio, reuirefcat. His tamen atq; alijs animæ curatoribus, pro vniuscuiusq; subditi sui necessitate, iudicare liccat, quando ieiunium, vel ieiunij rigor, alicui remittendus erit, & decernere, quid vel in orationibus, vel in Eleemosynis, alijsue pietatis operibus, pro cuiusque facultate, ieiunij loco iniungendum erit. Est enim fidelis & prudentis serui, quem constituit Dominus super familiam suam, ibi tantum vsurpare dispensationem, vnde bonam possit habere compensationem.

5. Quoniam vno eodemq; Ecclesiæ præcepto & diei cinerum, & diei Parasceues, ac reliquorum Quadragesimæ dierum ieiunium fidelibus iniunctum est; monendi sunt omnes, primis perinde ac medijs & vltimis Quadragesimæ diebus pari deuotione, & obseruantia esse ieiunandum; & \* feria quinta maioris hebdomadæ Mandatum, quod vocant, debere sobrium ac religiosum esse, ac potius abstinentium tunc à prandio, quàm vt illius Mandati occasione pluribus quàm vna refectione, vtantur, seu vt pransi, cœnando soluendi ieiunij periculum adeant. Quia qui vnus diei ieiunium soluit totam Quadragesimam inhonorat.

6. † His qui sacrum quadraginta dierum ieiuniũ, carniũ esu violare non timent, Canon nonus Concilij Toletani octauo sæpè inculcetur, qui ita habet: *Quisquis absque inenitabili necessitate, atque fragilitate, & euidenti languore, seu etiam impossibilitate ætatis, diebus Quadragesima esum carniũ præsumpserit attentare; non solum reus exit*

Conci. Tolet.  
8. con. 9. Ado.  
3 in his quæ  
ab hæc. infir-  
mulatis in-  
quir. sunt 6.  
44 pa. 504. c.  
d. D. Bern de  
præcept. &  
dispens. ca. 3.

\* Cõc. Laod.  
ca. 49 De cõ-  
sec. Di. 3. cap.  
Nõ liceat &  
ca Non oportet & c.

† Conc. prouis.  
sub Herm 5.  
par. 9. ca. 6.

resur-



resurrectionis Dominica: verum etiam alicuius ab eiusdem diei  
sancta Communione: Et hoc ille cumuletur ad pœnam, ut ipse  
anni tempore, ab omni esu carniū abstineat gulam; qui sacris  
diebus abstinentiæ oblitus est disciplinam. Quæ quidem non  
solum pro Concionibus, aut in Confessionibus propo-  
nantur, sed & à Pastoribus, alijsque animarum curatoribus,  
ducantur in usum, & tanquam indigni qui ad sa-  
cræ Communionem admitrantur, probentur aliquam-  
diu, & non nisi peracta, quæ Sacerdotis arbitrio iniun-  
genda erit pœnitentia, Communionem corporis Chri-  
sti accipiant.

7. Ut sacro quadragesimæ tempore carnes mandu-  
candi, nulli detur occasio; magistratus sæcularis sui no-  
uerit esse officij, ut macella omnia clausa teneat, & nul-  
li eas vendendi hoc tempore licentiam permittat, cu-  
retque ut caupones diebus prohibitis viatoribus carnes  
non proponant.

8. Ieiunium quatuor temporum magna deuotione  
ab omnibus suscipiendum doceatur, cum ob rationes &  
causas à D. Leone Magno in sermonibus de hisce ieiun-  
nijs recensitas; tum quia istis temporibus sacra ordina-  
tiones fiunt. Merito enim ob hoc, ieiunio, oratione, &  
Eleemosynis in vnum propositum pia plebis corda ad-  
ducenda sunt, ut omnes vno spiritu, sacratori virtute  
Dominum exorent, ut eligendorum sortes, ad Ecclesiæ  
sue vtilitatem dirigat, operarios idoneos in messem  
suam mittat, eosque septiformi spiritu suo, in omni bo-  
no confirmet. Ieiunium verò quatuor temporum, ac  
Vigiliæ Sancti Matthiæ, quod in quadragesimam inci-  
dit, solemnius ac religiosius, quam reliquis diebus co-  
lendū declaretur, quia duobus nominibus suscipien-  
dum.

In ep. decret.  
ad vniuers.  
scripta.

9. Quod à Thelesphoro Papa olim decretum fuit,  
ut Clerici aliquot dies ieiunando Laicos excederent; ut  
sicut discreta debet esse vita Clericorum, à congregatio-  
ne Lai-



ne Laicorum, ita & in Clericorum ieiunio esset à Laicis discretio: hoc ad excitandos omnes Clericos, maximè autem Prælatos & Pastores recensemus, eosq; per Sanctissimum Domini nostri Iesu Christi atq; Saluatoris aduentum obtestamur, vt religiosæ vitæ exemplo, quoscunq; fideles ad obseruantiam sacrorum Canonum, & præceptorum Ecclesiæ inducant, omniq; diligentia vtantur, vt illis omnibus, & ijs præcipuè sint obsequentes, quæ ad mortificandam carnem conducunt, vt ciborum delictus & ieiunia, omniaque quæ faciunt ad pietatem augendam, & certam faciendam vocationem suam, toto corde sectentur.

*Conc. Trid.  
sess. 25. De de  
licu cibo.  
vum. etc.*

## DE SANCTORVM RELIQUIIS ET SACRIS IMAGINIBVS.

**D**E pretiosis Sanctorum Reliquijs, deuotè colendis, ac religiosè conseruandis, titulo de Pastoribus & Custodibus quædam inserta sunt; hoc loco illud decernimus: vt nouæ aut ignotæ Sanctorum reliquiæ non recipiantur, nisi ab Episcopo fuerint approbatæ; & antiq; nequaquam extra capsam ostendantur. In ostendis autem ijs ea adsit grauitas, reuerentia, & pietas, quæ fidem & religionem Christianam præ se ferat, & intuitum animos, omni pietatis deuotione commoueat. Porrò in dilargiendis illis hæc seruetur ratio, vt nemini vnquam donentur, nisi vt loco sacro reponantur; maiori, aut non minori saltè pietatis studio, & prouectione ibidem seruandæ, quàm vbi antea seruabantur, ac notabiles reliquiarum partes, nullus Prælati aut Ecclesiæ rector dare transferendas alicui possit, sine Ordinarij & Capituli Ecclesiæ suæ, seu aliorum Ecclesiæ prouisorum consensu; quibus id permittentibus, donationis huius authenticæ, vnà cum reliquijs, donentur, litteræ & in indice

*Ca. Placuit  
De consec.  
Diff. 1.  
Ca. 2. De re-  
liquijs  
vener. Sanct.  
Conc. Trid.  
sess. 25. De in-  
uocat. vener.  
reliquijs  
Sanctor.  
sacr. imag.*

Y y

dicere